Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift




uitę signauerit. facile insinuant quan-
ta fides pręteritis possit haberi. nec minus
claris in illo tanti temporis spacio miraculis
eam celebrem extitisse. Frustra autem hec in
commendationem eius requiri uidentur. cum
certe id unum tanta presentia deitatis conces-
sum corpus scilicet per tot annos sine corrup-
tione seruatum. cuncta exsuperet admiran-
da que quocumque casu extra potuerant
peruenire. Ubi simul datur intelligi. in quan-
ta gloria beate immortalitatis eius spiritus illic
uiuere est. totius mutabilitatis expers tri-
umphat. cum hic et illud quod corruptibile
fuerat datum. ingentis meriti uiribus ipsa
condicioni mortalium uita preposita tam po-
tenti gratia superauerit. Quod utique dominus ad com-
mendandam gloriam purissime castitatis eius
oculis humanis ostendere uoluit. ut pa-
lam clarescerett quod primo apud eum soleat
compensari. carne pro eius amore contempta.
solis ipsius adherere complexibus. Quamquam uirgi-
nitas que supra quam usum est facit. plus
quam promissum est meretur. Posse sane ex di-
uino dumtaxat munere ante illam gene-
ralem corporum resurrectionem. carnem ho-
minis cuiusquam integram per tempora durare
aliquanta. licet pluribus idoneis scriptoribus
multa lectio testis defendat. unum tamen in
hanc partem sanctum Bedam presbyterum adduxis-
se sufficiat. qui in historia gentis sue que
iam ecclesiasticis auctoritatibus merito recte
fidei et sane doctrine admiscetur. de bea-
to pontifice Cuthberto refert. quod postquam
xi. annis esset sepultus. integro corpore
sit repertus. idque plenius in libro de uita
ipsius exequitur. Simile etiam de quadam mire
sanctitatis regina Edeldrude commemorat.
Sanctum quoque patrem Hylarionem Hieronimus non
solum carne sed etiam uestibus incontaminatis
post aliquantum temporis sepulture. a discipulo
eius scribit inuentum et sublatum. Ceterum non
hec in obfuscationem illius supereminentis
dei et domini glorie singularis de preconio sanctorum
attollimus. Christus siquidem nature nostre parti-
ceps factus non culpe. sicut pre filiis hominum
gratia ampliori plenus. uere et naturaliter
filius dei. ita caro eius iuxta prophetam paulu-
lum in sepulchro quieuit. in spem resur-
rectionis quantotocius sepulture. et anima que
inferno nullatenus potuit detineri ocius
corpus repente: sanctus ipse sanctorum. nec in ipsa
carne quam mortalem assumpserat. ullam
est corruptionem expertus. Et maxima utique
dominum ac seruorum distantia. Ille ut qui ani-
mam quando uellet ponendi. et cum uellet ite-
rum sumendi solus habuit potestatem. mor-
te sed sponte admissa. intra breue tempus
claustris sepulchri contentus. uirtute mox
proprie maiestatis. mortis legibus fractis. uic-
tor per se ipse surrexit. Sancti uero corpore hoc
mortali natam ipsi tota mortales egressi.
spiritu ad eum qui illum miserat reuolante. caro
primi lege hominis ad terram reducitur. Sed quia
mirabili commertio natam utraque carnis ac
spiritus concreta. dum in presentia ad diuina se ex-
ercet. mutua inter se expendunt operandi
officia. ut spiritus per carnem caro per spiritum bona
quelibet operentur. et hec simul dum uiuunt
Christi templum. et quasi quedam archa testa-
menti diuinam seruans scientiam habentur.
mox ut spiritus ab auctore reposcitur. corpus
in quo tot sacra tamdiu seruabantur. uice
templi dei et arce illius sacramentis plenissi-
me digne a fidelibus reuerendum excipitur
et seruatur. donec in fine temporalium eterna
utraque substantia reddita in unam ut prius
compaginem. glorificata prestantiori. amicis postea
nulloque inter se dissidentibus nexibus reparen-
tur. Si igitur bonitas potentie dei que suam sanctam
ex uirgine carnem nulli corruptionem subdi
permisit. sanctorum quorundam per aliquanta tempora gra-
tuito munere seruari uoluit corpora in-
corrupta. Hec laus inferiorum nichil illam
summam singularem dei Christi omnium superioris
imminuit. quin potius hec que per se obscu-
rarentur luce illius inde maiestatis ornantur.
Iam de sancta translatione sacratissime
uirginis ordine prosequamur. et quantis signorum
splendoribus ad consolationem mortalium spon-
sam suam rex illustrauit angelorum. meritis
ipsius iuuandi. cepti operis termino intendi.

Hludowicus Imperator de quo premisimus
filius karoli magni cognomento pius. post
gloriosissime patris exactum imperium in nullo
inferiori fastigio rerum potiebatur. anno ab
obitu patris decimo. cum incarnationis domini-
ce octingentesimus tricesimus ageret annus.
et sedem apostolicam rome Gregorius quidam oc-
cuparet. qui duobus Eugenio et Valentino tam
festina repente se morte sequentibus. quorum
prior tamen triennium sequens uix mensem sup-
erfuit successerat. tuncque tercium apostolatus
sui agebat annum. Hanc autem sanctam meten-
sem Drogo eius imperatoris Ludwici frater iam per
annum tuebatur octauum. qui etiam uices apostoli-
cas in cunctis galliarum partibus priuilegio
ab ipsa romana sede cum pallii auctorita-
te. et nomine summi archiepiscopatus suscepto